

esse consolatorum vniuersi qui temptationibus  
 exercentur. ¶ Quod dicit beatus Gregorius.  
 Hostis noster quanto magis nos sibi rebellare  
 conspiciat. tanto amplius expugnare contendit.  
 Eos enim pulsare negligit quos quieto iure se  
 possidere sentit. Et illud Augustini. Non est ma-  
 ior temptatio quam nulla temptatione pulsari.  
 Hinc dicit sanctus Thomas notabile verbum.  
 Multi grauius ceciderunt in aduersis sed multo  
 plures et multo grauius ceciderunt in prosperis.  
 eo quod temptatio quandoque sentitur in aduersitate  
 sed raro in prosperitate. verbi gratia. Cum ali-  
 quis increpatur affligitur in corpore molestatur  
 in rebus vel amicis sentitur temptatio siue motus  
 impaciencie indignacionis vel odij. Cum vero di-  
 ligitur laudatur honoratur tunc sentitur extollen-  
 tia et in ordinata mentis delectacio nec attendit  
 miser homo quantum sibi placeat indebite qui  
 alijs placere se credit. Et quanto minus et rarius  
 sentitur temptatio tanto minus et rarius et tan-  
 to difficilius temptationi resistitur quare etiam  
 homo facilius vincitur.

60 **S**ollicitudo septima boni viri et precipue illius  
 qui in sacris est ordinibus constitutus. esse debet  
 pro salute aliorum. ut se; suo bono exemplo et exhor-  
 ta de alios a peccatis retrahat et ad bonam vitam ducat  
 et precipue illos qui sibi commissi sunt aut quibus conuincit.